NUPTIIS SECUNDIS
Reverendi & Doctiss. Viri
DN. JOHANNIS MENDII
Pastoris in Gnichwiz;
Cum ornatissima Virgine
SUSANNA
Reverendi Doctissimi & Humaniss.
VIRI
DN. CHRISTOPHORI SARTORII
Pastoris Ecclesiæ in Stephanshan
Spectatissimi,
FILIA.

Die 25. Novembris &
celebrandis
1631.
Gratulantur
Socer & Amici.

OLSNÆ SIL.
Typis Bössemesserianis.

RAsa faces vitat Cybelëia turba maritas,
Atq; toros Anomos crimen habere putat.
At TE non Monachûm mores, tabulæq; Baalis,
JANE, movent, verùm jussa verenda DEI.
Cum conjux orbus charâ consorte fuisti:
Cum Tibi mors Martham falce suâ rapuit,
Numina si vellent, malles Tibi Martha superſit,
Atq; tuis Natis vivat & adsit adhuc.
Ipsa tuo plenas faculas subdebat amori,
Dum vixit fax & lux fuit usq; Tibi.
Fulgebatq; tuæ Domui, ceu splendet Olympo
Cypridis exuperans astra minora jubar.
Nunc meliore nitet terris fulgore relictis
Marthula sanctorum consociata choro.
Hâc defunctâ igitur, ne sint sine luce Penates,
Accendas aliam nunc Tibi, JANE, facem.
Quæ splendore tuas posthàc illuminet ædes,
Quæq; suo penetret corda calore tua.
Quæ renovet, luctus Tibi quem subduxit, amorem,
Sarciat & vidui damna priora torî.
Hoc Tibi præstabit mea Filia, crede, SUSANNA,
Fulciet occiduam, firma columna, domum.
Jlla SUSANNA, suo mihi quæ charissima Patri
Filia, quæ viduâ lumen in æde fuit.
Non Tibi dos veniet de multis aucta Taleris:
Sed veniet conjux cui pietatis amor.

Hoc

Hoc Tibi patrito de pectore præbeo pignus,
Hoc, ut cœpisti, postea pignus ama.
Pignus ama, charam reputa duxisse SUSANNAM,
Conjugii & varias præmeditare vices.
Nam Rosa delectat spinæ ceu cuspide rosa:
Spinis rosa toro sic Rosa grata venit.
Nunc bona quæque tuis tædis socialibus opto:
Perpetuus cursus tempore prosper eat.
Te socialis amor castâ cum conjuge jungat:
Unanimis mens sit, corpora bina licet.
Non turbet placidam turpis discordia vitam,
Nec ludat versâ sors inimica vice.
Et quæcunque piis sunt formidanda maritis,
Irrita Carpathium per mare ventus agat.
Vivite Mathusalæ longævi temporis annos,
Ludat & ad vestros turba novella pedes.
Vos regat afflatu supremi cura Parentis,
Præbeat inceptis vela secunda DEUS.

Christophorus Sartorius,
Sponsæ Parens
Pastor Eccles. Stephanshan.

FIda tori consors ut grata sit undique Sponso,
Atque tuis itidem dulcior Hybla favis;
Nostra preces fundunt ad CHRISTUM carmina: fidis
Carminibus siquidem vis specialis inest:
Connubium quod amarum aliis, ut dulce futuris
Conjugibus fiat, sollicitare solent.
Hoc etiam efficiunt, si Sponsus Sponsaque vota
Jungat, idem & constans in statione petat.

De

De Vobis nemo dubitat; quia novit uterq́;
Ad Legem quî ſit vita regenda DEI:
Nec tantùm noſtis, ſed re præſtare ſtudetis,
Vultis & ex omni parte placere DEO.
Felices animi! DOMINO qui corde placetis,
Vos conformatis Legibus atq́; ſacris!
Namq́; ſuis donis præſens eſt talibus, Ipſe
Autor Conjugii, præſidiumq́; tori,
Qui Vobis largè cumulabit gaudia, ſancti
Qui thalami dives multiplicabit opes.
Tu modò SPONSE tuam conſtanter dilige SPONSAM
SUSANNAM: Ipſa iterum ſit ſtudioſa tui.

Jeremias Tſchonder,
Philoſoph. M.

Ad Sponſæ Patrem, Sympatriotam & Compatrem MEUM.

QUem mihi patritæ jungit communio terræ,
Et CHRISTI roſeo tinctus ab amne latex,
Sicut adhuc PATER à bis ternâ prole vocaris:
Sic pòſt deinde novâ voce vocare SOCER.
En modò principium ſumis. Quo principe? Numen
Te ſinit hoc princeps ſumere principium.
Non minor eſt SOCERUM, quàm PATREM, gratia dici.
Solus at indulget nomen utrumq́; DEUS.
Spes ea non olìm lactente virebat in herbâ,
Quandò per autumnos egrederemur agros,
Adſcenſu patrios adnixi vincere colles,
Ut laqueo captas eximeremus aves.
Tu magis hanc poteras major promittere ſortem:
Et ſors, temporius mè, tibi læta favet.
It nuptum digno, Te deſponſore, Marito
Filia fœcundi prima propago ſatûs.

Nec

Nec male! sivè tuæ mores attendo SUSANNÆ:
Sivè placens juncti cor geniumq́; Viri.
Quæ duo ducendà fas est in Conjuge quæri,
Illa DEI *metuens, illa laboris amans.*
Quæ metuit Numen, metuet sociata Maritum.
Ne metuat talem ducere Mysta Viram.
Sæpè mihi celeres placuêre per ostia motûs,
Cùm nece surreptæ munus obiret Heræ.
Nulla Domûs poterat plus rebus idonea fingi,
Nec fictæ fato Vir meliore dari.
Sic caro sacra sacræ sociabitur ordine carni.
Pastoris meritò fœdera Pastor amat.
Qualia si concors modò pangat ubiq́; Sacerdos,
Mystis, non-Mystis parva querela foret.
Hæc sunt, propter quæ SOCERI *tibi carmine nomen*
Gratulor & repeti, Sympatriota, precor.
Nomine Tu verò variæ virtutis amande
MENDE, *tuum mendæ cerne vacare torum.*
Nunc-integrato defendant Numina lecto
A nece, sivè necis menda timenda fabris.
Cætera Conjugii ferimus fastidia: quæ Mors
Infligit nobis vulnera vix ferimus.

M. Henricus Closius Waldenb.
Collega primariæ Vratislavienf. Scholæ.

ARdua res certè viduam traducere vitam
Et mentem tristem, non hilarare joco:
Ardua res certè est, sublata conjuge fidâ,
Tempore Brumali membra levare gelù.
Ardua næ res est, inter motusq́; metusq́;
Intrepidè socio subdere colla jugo:
Ardua sit quamvis res hæc, doctißime Sponse
Tu tamen audacter, vincere cuncta studes:

Tu vitæ sociam, Tu lecti poscis habere
Adjunctam; meritò gratulor ergo tibi.
Is vos conservet, qui vos sociavit amore
Ornent & vestram pignora pulchra Domum:
Hoc precor, hoc voveo, devoto pectore votum,
CHRISTE jube fusas, pondus habere preces.

Melchior Euchorn
Pastor in Jordansmühl.

Votivum Augurium
pro novis nuptis
ex Nominum eorundem observatione
datum.

Johannes Mendius
Susanna Sartoria.

An non is arator aßiduus?
en Semina!

SEmina condit humo sua, non sine fœnore, arator
Aßiduus: Cererem multiplicante DEO.
Vera loquor. Verax docet experientia testis;
Seminioq; probas, Sponse Verende, tuo.
Hactenus, incultos commissæ plebis agellos
Cordium, & à vitæ fruge fidêiq; rudes,
Versâsti, rigido facundæ vomere linguæ,
Inspergens Verbi Semina Sancta DEI.
Unde tot exsurgunt plantaria vivida cœli,
Unde Ecclesiolæ meßis opima tuæ.
Nec minùs ipse domi, sollerti hymenëia aratro
Findere, dùm fuerant, arva, peritus eras.
Testor vos, Arviq; & Seminis æmula vestri
Germina, JANE tui pignora bella tori.

Triste

Triste sui *objicias, hymenëia ruraq́; Mendi,*
Funditus ingemines quòd populata Tibi?
Ne querere ulterius, vidui neq́; turturis instar
Pòst geme; verùm hilari gaudia mente cape.
Namq́; hodierna dies, Catharinæ nomine festa,
Quod libitina ferox abstulit, omne refert.
En! novus adstat ager, nova collige semina, aratrum
Exacue, & sulcos vomere finde novos.
Excultoq́; satis superinjice Semen, agello,
Unde futura tibi meßis abunda satis.
Meßis, quæ recreet, stimuletq́; subinde colonum,
Spargere lætitiæ semina sæpè novæ.
Meßis, quæ lolio sit cassa, det, omine fausto,
Germina digna choro, germina digna toro.
Ergò age! Seminio ne parce novelle colone,
Duc liras; sulcos findito, verte solum.
Non tibi, non tangat tàm culta novalia, quisquis
Irruere in vetitos turpiter ausit agros.
Addo: det Astrorum Sator, hic Sator intret ut olim,
Frugibus his, & agro hoc, horrea CHRISTE tua!

ab Affine

HENRIC. RUDOLPHO.

olim Wirbenensis, nunc

Metschcoviensis Pastor.

S*Ocraticæ Musæ quondam conferre solebant,*
Caßibus & naßis vincula sacra tori.
Namq; ineunt positam pisces in flumine nassam
Spontè, sed hanc capti rumpere sæpè student.
Sic thalami nassam cælebs sibi sæpius optat,
promtusq́; est socio subdere colla jugo.
Ast ubi legitimis est vinclis fortè ligatus,
Tum potius cælebs, liber & esse cupit.
Usq; adeò propriæ fortunæ tædet utrumq;,
Et tamen hîc manes quisq; suos patitur.

Sed

Sed tibi mens melior, Mendi, *clarissime mysta:*
Non tu legitimi tædia amoris habes.
Quippe maritali cui libera colla capistro
hactenus; atq; tori lege solutus eras.
En tandem repetis socialis gaudia lecti,
vinclaq; conjugii sponte secunda subis.
Vincula quæ posuit tibi casta SUSANNA, *verendo*
Nata viro, egregiâ laude virago nitens.
O factum benè! sic socii sacra fœdera lecti
Ipse probas, & spem posteritatis alis.
Sed cur non pergis patrias ambire Dianas;
forsan & illarum non minor ussit amor.
Scilicet hinc constat cæco non impete jungi,
pectora sed nutu casta coire DEI.
Ergò quod optatam, Mendi, *sis nactus amatam,*
Gratulor, & quæ vis prosperiora precor.
Ducite concordes, constantes ducite amores;
Apta sit ad nutum chara SUSANNA *tuum.*
Inprimis primæ sit conjugis æmula, prole
Te patrem pulcrâ multipliciq; beet.

M. Georgius Philippus.

S*Icnè erat in fatis thalamum renovare secundò?*
Spernere sic viduam, suavis amice, domum?
Namq; loco uxoris, quam mors tibi sustulit atra
Casta SUSANNA *tuo jungitur eccè thoro.*
Cum re nomen habens, â castâ dicta SUSANNA
Casti vixit amans, non sine laude, domi,
Hac ergò fruere: ac tanto pro munere grates
Et Jovæ & socero, pectore funde pio.

Honoris & amoris Candoris & favoris ergò scrib.

Nicolaus Kretschmar
Pastor in Sachwitz.

Rem

REm non insolitam aggreditur, sed more receptam,
Qui viduo præfert, altera vota, thoro
Et simul æterni mandata æterna Jehovæ
Exequitur, socios qui cupit esse homines.
Ergo tibi sociam, charissime SPONSE, puellam,
Dum quæris, jussu hoc quod facis, omne facis.
Nam divina tuam raperent, dùm fata maritam,
Quæ tibi curarum dulce levamen erat.
Nil nisi spirabas lacrymas mæstasq; querellas,
Nîl nisi poscebas, esse & adesse Tuam.
Optasses tibi Morta prius clausisset ocellos
Et thalamo & tumulo posse priore frui.
Illa Marita meos, quêis me sibi junxit, amores
Abstulit, illa habeat servet & in tumulo.
Sic ais, at cordis Motor prospexit ab alto
accenditq; tuum pectus amore novo,
Hoc Motore DEO stimulos socialis amoris
Sentis, & casto pectore flamma calet.
Ergo animum nunc huc celerem, nunc dividis illuc
Quæ fugienda tibi, quæq; adamanda Tibi.
Tandem divino Te Stephanshaynia, Fato
Virgo, DEI Mystæ Filia, Sponsa cupit,
Te cupiente prius; cui vix formosior ulla,
Quæ pietate valet, quæq; pudore valet.
Hæc Tua Sponsa Bono prognata è sangvine; Sponse,
Dic Sponsâ possis nobiliore frui?
O fruere hac fælix Tu summi Mysta Jehovæ!
Sit tibi Sponse Bono, sit tibi Sponsa bene.
Depluat in vestras Benedictio cælica tædas:
Pace domus vigeat, nec sine prole thorus.
Sic voveo: voto huic DEus, ô DEus annue nostro:
Namq; jubes votis pondus inesse piis.

MATTHÆUS SCULTETUS Pastor
in Goglavv.

Quam-

Quamvis non magnas habeant mea carmina vires,
Cum soleam filo, texere quæq; rudi:
Corde tamen puro, cum profluat omne quod opto,
Indicia hæc animi qualiacunq; fero:

Rev: Dn: Socero filiam dilectam
feliciter elocanti.

Nosse cupis venerande Senex, quem Rector Olympi
adjungat generum, pro bonitate, tibi;
Præco DEI est gener ille tuus, pietate celebris
Ingenuus, recti & simplicitatis amans.
Vir placidus, mitis, quo non tibi carior alter,
Digna viro tali, filia chara fuit.
O te felicem, gnatam qui fœdere jungis
Huic genero, num te pœnituisse potest?
Crede mihi, gener iste tuus, Sponsæq; Tibiq;
Pars animæ, & suavis portio cordis erit.

Rev: Dn: Genero, nuptias
feliciter celebranti

Nosse cupis, venerande Gener, quam Rector Olympi
Adjungat sociam, pro bonitate, Tibi?
Virgo venusta tua est Sponsa, & pietate celebris
Ingenua, & recti, & simplicitatis amans:
Cui cum fronte dedit, mores natura pudicos,
Et raras dotes, præcipuumq; decus.
Hæc erit apta tuæ domui, præclara marita,
Apta tuis natis, non minus apta tibi.
O te felicem Sponsum, cui contigit uxor
à Domino talis, Nobile munus erit.
Tali læteris Sponsâ, doctißime Sponse
Et toto grates dicito corde DEO.

Sponso & Sponsæ.

Quicquid præsentis vitæ sibi postulat Usus,
Ubertim vobis det veneranda Trias:

Et simul ac novies cursum Lucina peregit,
Te Sponsum faciat, casta SUSANNA, *patrem.*

Christoph: Ernestus
Pastor in Stabelwitz.

Anagrammatismus

Joannes Mendius, Mens, os, innue dia.

Sic explicatus.

QUæ terrena sapit mens, quæ terrena profatur
Lingva, ingrata DEO, *labe carere nequit:*
Namq; vel est carnis, vel visus prava cupido.
vel fastus vitæ, quicquid hic orbis habet.
Suggerit ergo tuum MENDI, *transponito nomen,*
Officio & cultu Symbola digna Tuo:
Quippe hortando mones te; Mens, os, innue dia,
Et populum; mens, os, innue dia, *doces.*
Sic inhias, aliis quæ monstras, ipse supernis,
Clarum erit in cælis quam πολίτευμα *Tuum.*

à M. Johanne Closio Vratisl.
pro CHRISTI veritate nunc Exule.

MENDIUS antiqvo mihi junctus amore fideque,
Scissuram doluit, mente gemente, *tori.*
Qvam dum SARTORI pia Gnata SUSANNA *resarcit,*
Gaudet, & *emendat* triste doloris onus.
Qvæ sunt sarta DEI *moderamine vincula, nullâ*
Hostili scindi parte vel arte qveunt.
His conjuncte, *novæ* benè vivas, SPONSE, *maritæ*
Nec citò *Scissuras* experiare necis.

Dn: Sponso Amorem & candorem pristinum
declaraturus adjic:

M. Melch. Meling Francost.
p. t. Jllust: Schol. Olsn. Rector.

Anagr·

Anagramma.

Joannes Mendius Pastor.

Annon pius adsto?

ME RIDES.

RArior haud pietas, qualis jam cernitur ævo
Sat nostro tristi, quo Malesvada fremit,
Quamvis de cathedrâ, tot, tantaq; dogmata verbi
Mystæ constantes ore manuq; tonent.
Dic quid proficiant? multis sunt fabula vulgi
Risus adest illis, non honor ullus adest.
Testes sunt veteres, testes sunt agmina vatum,
Quorum veriloquus calculus ipse satis.
Estq; fames, pestis, nec non Mars ille cruentus
Totam Teutoniam perdere, non dubitat.
Esset opinor opus lacrymis, sin talia cedant
Ex oris nostris, quisquis amare DEUM
Pergere non cesset, vitam vivat meliorem
Non aliud medium conciliare DEUM.
Hoc facit inprimis, pius auditoribus adstat
MENDIUS, ornatus relligione pia.
Non curat Satanam, mundum, unà obstacula vulgi
Nec monachos, audit quêis malè conjugium.
Improba Costeri vox, dira loquela Tridenti
Uxores centum præstat habere, refert
Pastorem, ast falsò, oppugnant oracula verbi,
Propter adulterium nubere quemq; jubet.
Ex pietate Tibi Nympham jam crede venire,
Quæ studiosa DEI, quæ studiosa domi.
Det DEus ambobus risus, det & oscula multa
Semina prolifico, prosperitate bonâ.

JOANNES MENDIUS PASTOR.
MENS DIU IN SANO PASTORE.

Quicquid terra capit, transit, sic machina cœli
Transibit, nec non vertitur in nihilum:
Ast hominis mens, divinæ sacra portio vitæ
Durat, principio fineq; sola caret.
Sic Mens, ô MENDI subsistat corpore sano
ad multos annos, dogmate salvifico.

Georgius Seidelius S.S. Theol.
Stud. p. t. in Cristelwiz Præcept.

Νῦν μέγα θεολογίης, Ἰωάννη Μένδιε, κῦδος,
Θεολογίης δὲ μόνον; μὴ ἄρα καὶ σοφίης,
Εἰς θαλάμην δέσποιναν ἄγων τιμώμενον ἄχθος,
Μοῦ παρὰ ἄδεσθαί σοι ὑμέναιον ἐρᾷς.
Ἀλλὰ σὺ, ὥστε χορῷ, Μουσάων, ὥστε καὶ αὐτὸς
Σοὶ ὑμέναιον ἐμὴν ἄδεται ἀξιόῃ.
Ὅτι πάλιν γὰρ ἐμὴν ὁμομητρίαν οἶδα ἀδελφὴν
Πέμπεσθαι νύμφην νυμφίον ἐς σφέτερον,
Παντάπασιν κρούειν με ἐμὴν φόρμιγγα προσήκει.
Φοῖβε ἐμοὶ γλυκερὸν πρὸς φρένα πέμπε μέλος.
Ἄλλεται ὀφθαλμός μοι ὁ λαιὸς συμβαὶν ἀβουλεῖς,
Βούλου ἀοιδάων καὶ μεδέων μοι ἔσῃ.
Τίμιος ἐν πάντεσσι, γάμος κοίτη τ' ἀμίαντος,
Ἀμφότερον ζητῶν ἐστι δίκαιος ἀνήρ.
Ἔστι δικαί' ἀγαθή τε γυνὴ σωτηρία ζωῆς,
Πᾶς ταύτης μεμαὼς πάμμακάρ ἐστιν ἀνὴρ.
Εἷς διὰ τοῦτο δίκαιος ἀνὴρ, Ἀδελφικὲ μέλλων,
Ὅτιπερ εἰς χῆρον δῶμα γυναῖκα ἄγεις.
Πάμμακαρ ἔσσε' ἀνὴρ, σωτήριον ὅτι γυναῖκα
Ἕξεις καὶ κλήσεις σοῦ μελέπειτα βίου.
Τοῦ ὦ σεμνοπρεπὲς, συγχαίρων σοι ἄνερ, εὐχὰς
Εὔχομαι ἐκ κραδίης ἐσθλοδότηρι θεῷ,

 Δόσθαι

Δόσθε νυμφείῳ (δώτωρ γὰρ ἄριστος ἐάων)
    Ὑμῶν οὐρανόθεν Χρηστὰ, ἄριστα δόμῳ.
Δώσει, ἐὰν δώσει ὑμῖν, συι εἶναι Ἰακώβ,
    Βησομένη κλίνην σου θαλάμοιο Ῥαχὲλ.
Δώσει, ἐὰν δώσει ὑμῖν, σοι εἶναι Ἰσαὰκ,
    Ἠδὲ Ῥεβέκκαν, σοι ἥντινα σὺν δεῖ ἔρως.
Δώσει καὶ δώσει, ὑμεῖς αἰτήσατε, πλείω.
    Αἰτήσαντι καλὸς καλὰ δίδωσι θεός.

CHRISTIANUS SARTORIUS
Sponsæ Germanus.

IPse DEUS jungit, cupidos dissolvit amantes,
    Nunc tollit, placitum fertq; subindè bonum.
Candide JOHANNES, tibi rapta est pristina CONJUX,
    MARTHULA, solamen quæ fuit usq; tuum.
En iterum veri PASTORIS filia CONJUX
    PASTORI nubit virgo pudica tibi:
Quæ Venerem, formâ, diversis moribus æquat,
    Lumine fulgenti, pectore, fronte, coma.
Jam lecto CONSORS sis fida SUSANNA MARITO,
    JOHANNI semper firma columna domûs.
PENELOPE esto fide, verè sis mente SUSANNA,
    Sis SARA obsequio, corde REBECCA pio.
Ergò, JOHANNES, lepidam complectere SPONSAM,
    SPONSA est, non hostis, corporis illa tui.
Corporis illa tui pars, lætam ducere vitam
    Quâ sine si quæras, tristia quæq; feres.
Hæc tua pax, mel, liliolum, tua lux, paradisus,
    Inter MUSARUM, SPONSE colende, viros:
Hæc tua vita, columna, decus, rosa, fama, voluptas,
    Mentis, crede mihi, fulgida vestis erit.
O Rerum Genitor DEus es qui trinus & unus:
    Ad TE tollo manus indubitante fide:
Funde toro pacem tranquillam; & prospera multa
    Da SPONSO, SPONSÆ, sic mea vota volunt.

ABRAHAMUS MÖLLERUS
Theorinus Silef.

EST nimiùm felix, quo non felicior ullus,
In cujus thalamum casta puella venit.
Namq; viro tali datur hæc, qui pectore toto
Diligit & servat jussa verenda DEI.
Ergò mihi felix, MENDI, dicendus amande;
Dum venit à DOMINO, quæ tibi SPONSA venit.
Hæc tibi sit mœsto solamen; dulce levamen
Rebus in adversis; firma columna domûs.
Turturibus veluti, sic & concordia vitæ
Sit vobis; nunquam contemerata fides.
Absint à vobis lites, discordia, fraudes:
Adsint & maneant pax, amor atq; fides.
Vivite felices, sociali fœdere juncti,
Carmina proq; toro dicite grata DEO.
Vivite Nestoreos, SPONSI, florete per annos;
Ducite per lætos tempora longa dies.
Vos Gnatos numerate pios, numerate pudicas
Gnatas, quæ vobis gaudia multa ferant.
Hæc grator penito SPONSIS de corde novellis,
Et precor, ut votum prosperet alma TRIAS.

Paulus Möllerus.

SAncte DEUS, ter sancte DEUS, sanctißime JOVA
à quo ceu rivo profluit omne bonum.
Annue tot votis, ex imo pectore fusis:
Namq; jubes magnum pondus habere preces.
O Largire mihi, Sponsæ, soceroq; suisq;
Corporis ac animæ munera larga, diu.

JOHANNES MENDIUS Sponsus.

FIlia Pastoris venerandi virgo SUSANNA
Quam tibi chare, parens, fœdere jungit amor,

Fida

Fida marita tibi sit, & ut mihi justa noverca,
Supplicibus votis, Numina sacra peto.

Johannes Mendius
Sponsi filius.

Nunc, quia, Sponse, sacrum pactum cum virgine pangis,
Talia me pacto pangere vota decet.
Præbeat egregio pacto se JHOVA serenum,
Semper ut hoc pactum Te posuisse juvet.

Hoc Rev: Dño ante annum hospiti
suo dilectis°. optat.

Christianus Jungius
p. t. ejusd. filii condiscip.

Gaudia, quæ Isaaco spargebat casta Rebecca,
Mulcebat Jacobum, quêis verecunda Rahel.
Et quæ fundebat blando, Ruth blanda, Böozo
Hæc tua, Sponse, tibi, Sponsa SUSANNA ferat.

Ita ex corde Rev: Dn. Sponso
quondam hospiti suo verè paterno precatur.

Melchior Euchorn
Junior.

Quod tibi, Sponse, Socer bellè succedere poscit.
Candidus & fautor, quæ pia vota vovet:
Commoda cum Sponsâ, quæ tute â Numine flagras
Quattuor his metris, hæc ego cuncta precor.

Jta Rev: Dn: Sponso, Compatri suo diligendo
vovet.

Michaël Kretschmar
Sachowitzensis.